Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



AD GALATHAS

longanimitas · bonitas · benignitas · mansuetudo · fides · modestia · continentia · castitas · aduersus huiusmodi non est lex · Qui autem sunt christi carnem suam crucifixerunt cum uitiis et concupiscentiis · Si spiritu uiuimus spiritu et ambulemus · Non efficiamur inanis gloriae cupidi inuicem prouocantes · inuicem inuidentes ·

Fratres VI

et si praeoccupatus fuerit homo aliquo delicto · uos qui spirales estis · huiusmodi instruite in spiritu lenitatis · considerans tetemetipsum ne et tu tempteris · Alter alterius onera portate · et sic adimplebitis legem christi · Nam si quis existimat se aliquid esse · cum nihil sit · ipse se seducit · Opus autem suum probet unusquisque · et sic in semetipso tantum gloriam habebit · et non in altero · Unusquisque enim onus suum portabit · Communicet autem is qui catechizatur uerbo ei qui se catechizat · in omnibus bonis · Nolite errare · Deus non irridetur · Quae enim seminauerit homo · haec et metet · Quoniam qui seminat in carne sua · de carne et metet corruptionem · Qui autem seminat in spiritu · de spiritu metet uitam aeternam · Bonum autem facientes non deficiamus · Tempore autem suo metemus non deficientes · Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes · maxime autem ad domesticos fidei · Videte qualibus uerbis scripsi uobis mea manu · Quicumque eum uolunt placere in carne hi cogunt uos circumcidi tantum ut crucis persecutionem non patiantur · Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt · sed uolunt uos circumcidi ut in carne uestra glorientur · Mihi autem absit gloriari · nisi in cruce domini nostri iesu christi · per quem mihi mundus crucifixus est · et ego mundo · In christo enim iesu · neque circumcisio aliquid ualet neque praeputium · sed noua creatura · fidem iesu christi · Et quicumque hanc regulam sequentur pax super illos · et misericordia · et super israel dei · De cetero nemo mihi molestus sit · Ego enim stigmata domini nostri iesu christi in corpore meo porto · Gratia domini nostri iesu christi cum spiritu uestro fratres · Amen ·

Incipit prologus in epistolam ad ephesios

Paulus apostolus iesu christi · per uoluntatem dei sanctis omnibus qui sunt ephesi · et fidelibus in christo iesu · Gratia uobis et pax · a deo patre nostro et domino iesu christo · Benedictus deus et pater domini nostri iesu christi qui benedixit nos in omni

Epistola pauli ad ephesios ·

Ephesii sunt asiani · hui accepto uerbo uitam perstiterunt in fide · Hos collaudat apostolus scribens eis ab urbe romana de carcere · scribens eis per tychicum diaconum ·